

R. P. D. ANTONIO PERATHONER

SEPARATIONIS.

SUMMARIUM.

1. Facti species. — 2. Ecclesia fieri posse decernit separationem coniugum temporaneam multas ob causas quoad thorum et cohabitationem. — 3. Causae separationis temporaneae, genericae: — 4. in specie inter eas recensetur *malitiosa desertio*. — 5. Modus agendi in casu malitiosae desertionis. — 6. Quae requirantur ut desertio dici possit malitiosa. — 7. Actrix unam affert causam separationis, nempe malitiosam desertionem. — 8. Factum desertionis certum est. — 9. Desertio fuit iniusta. — 10. 11. Refelluntur excusationes a marito adductae. — 12. Principium: *viri est sedem eligere ubi lares constituat*, suas habet exceptiones. — 13. Aliae causae ad iustificandam desertionem uxoris, a marito adductae, illi non prosunt; — 14. praesertim rixae et discordiae, in casu. — 15. 16. Probatum uxorem deseruisse cum intentione vitam conjugalem dissolvendi. — 17. Conclusio. — 18. Sententia.

DECISIO XIX.

1. — Henricus et Hedvigae die 23 iunii 1900 matrimonium coram ecclesia contraxerunt. Matrimonium hoc ab initio felix fuisse videtur ex eo quod duae filiae sunt natae. Postea vero ex variis causis graves inter coniuges dissensus sunt exorti, ita ut vir mense decembri 1908 uxorem et filias dereliquerit et abhinc earum sustentationi non consuluerit. Iam anno subsequenti, consortium instaurare voluit vir; mulier autem propter conditiones a viro positas renuit. Hedvigae porro die 20 aprilis 1910 adiit iudicium Archiepiscopale petens separationem a mensa et toro ad tempus indefinitum ex culpa mariti, quem malitiosae derelictionis et denegationis alimentorum accusavit. Iudicium vero Archiepiscopale, tentata et non secuta partium litigantium reconciliatione, rite peracto processu canonico, per sententiam diei 17 iunii 1911 instantiam actricis utpote non fundatam reiecit. Iudicium vero secundae instantiae, pro causis Archidioecesis et ad quod Hedvigae appellavit, die 25 octobris 1911 primam sententiam infirmavit et petitam ab uxore separationem ad tempus inde-

finitum ex culpa mariti decrevit. A qua sententia Henricus ad Sedem Apostolicam appellavit. Unde causa hodie Huic S. O. subiicitur sub inter partes concordatis dubiis: « 1. *An constet de legitimis causis separationis in casu?* Et quatenus affirmative: 2. *Cuius culpa separationi locus est?* ».

2. – Ius quod attinet, DD. Auditores haec animadverterunt: Divortium seu separationem coniugum, manente coniugali foedere ex iustis eisque diversis causis fieri posse, docet Concilium Tridentinum contra haereticos, qui faciles quidem sunt in solvendis coniugiis quoad vinculum, difficiles autem in iis solvendis quoad cohabitationem, quippe qui unicum adulterium ut iustam separationis seu divortii causam admittunt. « Si quis dixerit » definitum Concilium *ses. 24. can. 8* « ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter coniuges quoad torum seu quoad cohabitationem ad certum incertumve tempus fieri posse decernit. anathema sit ».

3. – Concilium tamen has causas taxative minime enumeravit: a doctoribus autem variae adducuntur sive pro *perpetua* sive pro *temporanea* separatione. In themate agitur tantum de separatione *temporanea*: quae tamdiu durare censetur, quamdiu durent causae, ex quibus concessa est. Separatio enim temporanea, non tantum rationem poenae habet, sed etiam remedii ad evitanda gravia mala corporis et animae. Unde Wernz (*tom. IV, n. 713*) docet: « Causae separationis temporanae a toro et cohabitatione generatim sunt gravia pericula animae et corporis, quamdiu durant » (Cfr. etiam Scherer § 137, V). Aichner vero (*Compen. iur. Eccl. ed. 11, p. 721 nota 18*) haec habet: « Omnes separationis causae fluunt ex principio: Coniuges ad vitae consortium eatenus tantum obligantur, quatenus id absque animae, vitae vel charitatis periculo continuare possunt ». Demum Reiffenstuel (*l. IV, t. 19, n. 56*) postquam enumeravit causas, quae iuxta communem sententiam non sufficiunt ad perpetuum divortium addit: « Ratio est, quia, facta emendatione, tenetur innocens iterum redire ad nocentem et eum recipere ».

4. – In specie inter multas causas « separationis temporanae recensendam esse malitiosam desertionem moderni auctores conveniunt » (Cfr. Wernz, *l. c. 713, III*; Aichner, *l. c. pag. 722*; Leitner, *ed. 2, pag. 602, IV*; Scherer, *l. c.*; Nasoni. *Compend. Iur. Can. II, pag. 154*; Alberti, *Theol. part. II, n. 98, p. 119*). Eam iam innuit Conc. Trid. definiens matrimonii vinculum non

posse dissolvi propter affectatam absentiam a coniuge (*Sess. 24, can. 5*), et expresse agnovit Instructio Austriaca, *Par. 209*: « Co-
 « niux, quem altera pars malitiose deseruit separationem a toro
 « et mensa petere potest, usque dum dissertationis reus animum ad
 « officia coniugalia adimplenda paratum sufficienter probaverit ». (Cfr. etiam *S. C. C., 31 iul. 1869 et 23 ian. 1875, in Act. S. Sed. vol. V, p. 3 sq. et p. 12*). Libet hic notare, etiam recentiores Codices Civiles, inter quos praesertim Codex Austriacus § 109, et Cod. Ital. *art. 150*, malitiosam desertionem inter causas separationis recensere. « Ratio autem », ait Aichner *l. c. nota 17*, « cur
 « malitiosa desertio iuxta praxim modernam inter causas divortii
 « numeratur, est quia recidit vel in odium capitale vel in acerbio-
 « res animi afflictiones ». Wernz vero *l. c.* malitiosam desertionem recenset inter pericula corporis.

5. – Quoad modum agendi in casu malitiosae desertionis Aichner, *l. c.* optime animadvertit, non statim et immediate decernendum esse divortium. « Nam primo coniux iniuste discedens ad instan-
 « tiam partis derelictae a iudice competentibus mediis ad rever-
 « tendum cogitur. Hunc in finem absenti praefigi debet terminus,
 « ipseque si ubi commoretur ignotum sit per ephemerides publicas
 « ibidem praefixo termino citandus est. Ipso dein in suo sensu per-
 « tinaciter persistente, iudex parti innocenti divortium temporale
 « cum omnibus effectibus concedit ». Ex quibus colligi potest, non tam factum desertionis esse causam legitimam ad divortium pronuntiantium, quam potius pertinacem detractionem coniugale consortium instaurandi post iudicis invitationem.

6. – Porro ut derelictio dici possit malitiosa, requiritur ut sit iniusta et dolosa cum intentione solvendi coniugale consortium. Iniusta autem est derelictio, si fit absque iusta causa seu sine ullo iusto titulo. Dantur enim diversi casus, in quibus derelictio licita est, et quidem cognito alterius adulterio, et si periculum corporis et animae sit in mora v. gr. si ex indomita viri saevitia mors vel vulnera sint timenda. Aliae iustae causae abeundi etiam ad longum tempus sunt v. gr. si vir ad bellum vel in senatum vocatur, porro si longior absentia necessaria est ad familiam colendam seu tuendam, vel ad alia negotia et officia explenda. Ulterius ad notionem malitiosae derelictionis requiritur ut haec sit dolosa et iniuriosa coniuncta cum intentione vitam coniugalem solvendi. Qui enim hac cum intentione discedit, evidenter iniuria afficit partem derelictam. Quapropter malitiosa desertio iam adest

si secedens in eodem domicilii loco separatam habitationem eligat, vel si vir coniugem domo expellat, vel si uxor pertinaciter et absque iuxta causa sequi renuat domicilium, quod vir ex necessariis causis, v. gr. ratione muneris seu officii, mutare debuit. Si vero intentio consortium coniugale solvendi deest, tunc discessio unius coniugis, etsi facta invito altero, ut vera et malitiosa haberi nequit. Idem dicendum est de derelictione coacta, v. gr. si unus coniux in exilium eiicitur: item de derelictione quae pro certis casibus contractu inter coniuges inuito concessa fuit et proinde iniusta non est; demum de derelictione, quae quidem iniusta est, attamen absque iniustitiae conscientia facta fuit, v. gr., a coniuge insano (cfr. Kutschler, *Ius matr. tom. V, pag. 691 sq.*). Id quoque notandum est, ad separationem coniugum a toro et mensa decernendam ex capite malitiosae derelictionis requiri, ut haec aut plene probetur aut saltem de ea vehementi praesumptione constet (Cfr. Kutschler, *l. c.*).

7. – Hisce iuris principiis praemissis factum quod attinet, RR. PP. DD. praeprimis observarunt, mulierem separationem postulantem unam tantum adduxisse causam, scil. malitiosam derelictionem et denegationem sustentationis. « Marito meo » ita in libello « crimini verto, quod exeunte decembri 1908 mecum vitam « communem cessaverit neque ex illo tempore necessaria ad vitam « meam ac filiarum mearum suppeditet ». Hisce respondet actricis depositio: « Marito meo in crimine pono, quod malitiose me dereliquerit neque mihi neque filiabus nostris necessaria ad vitam « sustentandam suppeditare curet ». Hanc unice causam, malitiosae derelictionis consideravit tum Iudex primae, tum iudex alterius instantiae. Unde PP. visum est, limites ab actrice positos et ab utroque iudice consideratos, retinere et primum dubium reformare iuxta instantiam uxoris, praescindendo ab inquisitione, an aliae causae separationis in casu existant.

8. – Iamvero factum derelictionis certum est. Id omnes Hedwigis testes fatentur, Henrici vero testes denegare non audent. Imo ipse vir derelictionem suam confitetur dicens. « Cum fontes, « unde necessarios vitae usus repereterem, ad familiam meam sustentandam nimis modici fuissent, ac insuper parsimoniae gratia, « ad consanguineos meos profectus sum ». Hanc absentiam autem diuturnam fuisse, dubitari nequit, cum ipse addat: « talis iam rerum « status duobus ferme annis durabat ».

9. – Cum igitur de facto derelictionis ambigi nequeat, iam inquirendum venit an haec dici possit malitiosa, seu an fuerit

iniusta et dolosa coniuncta cum intentione solvendi coniugale consortium. Iniusta non esset derelictio in casu, si Henricus consensum coniugis vel iustam aliquam abeundi causam habuisset. Ast utrumque deesse censuerunt Domini Auditores. Consensum mulieris adfuisse ne vir quidem affirmare audeat, sed vigilantibus verbis utens dicit, se profectum esse « cum scitu uxoris ». Dictum vero consensum plane defuisse narrat testis Sophia NN., dicens: « Iuxta dicta sororis actricis nomine Imelis, postquam Henricus consilium iniit uxorem deserere, ipsa ne hoc faceret, enixis precibus maritum rogabat ». Quod si hoc testimonium magni ponderis faciendum non est eo quod testis dicta ab Actricis sorore audierat, exstat tamen epistola Hedvigis ad virum tempore non suspecto missa, ex qua deducitur quam moleste ipsa viri derelictionem tulerit. Haec enim scribit: « Aegerrime patior, quod tibi dixisse cogor, me amplius te non amare; nullo tamen novissimo tempore perpecesti studio, ut huiusmodi sortem experirer. Haec facillime oblivioni minime dantur. Et ecce effectus longius in litteris de his verba facere non valeo, nimis enim graviter id fero ». Nec consensus praesumendus est: saltem a die qua vir data epistola uxorem invitavit ad vitae consortium instaurandum, uxor vero restitit. Nam in hac epistola (diei 6 ianuarii 1909) vir tales condiciones posuit, quas acceptare uxor merito recusavit. Praesidium, inquit vir « Humince vende. Singula iugera, si 320 rb. pretio venalia habebis, aere alieno in aerario publico persoluto, deductis insuper expensis pro actis publicis et pro intercessore 160.000 rb. habebis de quibus 100.000 hypothecas urbanas et provinciales primo ordine obligabis, 60.000 vero commodabis mihi, ut rem familiarem emam. Septem mensibus hiemalibus in civitate habitare potes, quinque vero aestivis apud me rusticaberis ». Ast his conditionibus Hedvigis, utpote in gravissimum familiae detrimentum cessuris, acquiescere non potuit, quod etiam testis Constantia Maria intellexit narrans: « Litteras ad uxorem dederat vir, quas actrix mihi praelegit, in quibus persuadere uxori nitebatur, ut secum cohabitaret, positis tamen a se sat duris conditionibus pecuniariis quas acceptare difficillimum mihi esse videbatur ». Et sane venditio dicti praedii sat dura esse debebat uxori ideoque inacceptabilis. Item ei grave fuit tam magnam pecuniae summam commodare viro, qui fatetur se angustia rei familiaris laborare et qui proinde nullam seriam idoneamque cautionem offerre poterat uxori pecuniam in tuto positam fore, quamvis

profitebatur, se data super bonis noviter emptis hypotheca pecuniae summam tutam esse redditurum. Ex quibus iam sequitur, consensum uxoris nec ante nec post viri derelictionem adfuisse. Qui consensus si adesset, viri derelictio malitiosa dici non posset, quamvis regulariter non licet coniugibus mutuo consensu discedere, neque eiusmodi mutuus consensus legitimam separationis decernendae causam subministrat. Cum igitur consensus uxoris in casu desit, restat videndum, an vir iustas habuerit abeundi causas.

10. – Tales quidem easque diversas profert Henricus: asserit enim se rus secedere constituisse, seu familiam dereliquisse ut media ad eandem sustentandam sibi compararet. Ast haec ratio omni destituitur valore: praepremis ex actis constat, sustentationi familiae ex bonis uxoris ditissimae iugiter consultum fuisse. Praeterea si Henricus noster reapse familiam deseruisset ea intentione, ut arte sua agraria familiam aleret, id facto et non tantum verbis demonstrare debuisset, consulendo scil. saltem ex parte suae familiae sustentationi. At non solum uxor, sed etiam omnes testes unanimiter deponunt, virum uxori et filiabus alimenta post separationem nec suppeditasse nec nunc suppeditare, quod ceterum ipse Henricus fatetur dicens: « Non praeeo quidem necessaria ad vitam sustentandam familiae meae, potissimum tamen hanc ob causam, quod ipse angustia rei familiaris laboro neque ad sustentandam familiam me amplius iure stricto teneri censeo, cum uxor dotem recipiendo ac nolendo mecum cohabitare ad hunc modum agendi me quadantenus adegerit ». Quae alimentorum denegatio ostendit, Henricum, cum familiam dereliquit, nullatenus intentionem habuisse sua arte maiores proventus in familiae utilitatem sibi comparare. Ceterum, ut bene animadvertit Promotor iustitiae non intelligitur, virum rei agrariae peritum non posse suam artem exercere, nisi una cum sua uxore et familia ruri vivat. Nam negotiorum occasiones in re agraria, facile, saltem generatim, etiam in urbe inveniri possunt. Quaestio porro, an Henricus ab alimentatione familiae ideo excusetur, quod dotem uxori restituerit, ad rem vix pertinet. Nam Hedwiges causam movit non propter sustentationis denegationem, sed propter viri malitosam derelictionem, de qua virum solummodo incusat.

11. – Aliam quoque causam abeundi vir habuisse dicitur quae est ordinis moralis. Uxor scilicet urbanis oblectamentis et hominum consortio nimium dedita erat, campestria solatia fastidiebat et tota in eo erat, ut vestibus varii generis se exornaret et excursions oblectationis causa et in balnea faceret, ut deponit Josepha testis

a viro inducta. Eadem testis ita prosequitur: « Multoties conque-
 « rebatur (actrix) lacrimans de vitae rusticae incommodis et in
 « votis se habere mihi dicebat in oppido vel prope oppidum vivere,
 « ut consuetudinem sibi placentem cum hominibus colere et animum
 « oblectationibus relaxare possit. Hoc in causa erat, quod Henricus
 « rem suam familiarem alibi redemptioni collocaverat ac novam
 « rem familiarem prope civitatem comparavit ». Ex quibus conclu-
 ditur, uxorem iure meritoque derelictam fuisse a viro in re agraria
 peritissimo, agrorum culturae dedito et ab urbanis delectationibus
 alieno. Ast Hedwigis agendi modus vituperari nequit: ipsa enim
 civilis erat conditionis, nobilis educationis et insuper satis dives.
 Unde iuxta de causa conquerebatur, quod a viro coacta fuerit
 solitariam vitam inter rusticos iugiter agere, ut ipsa Henrico
 liberrime exprobat scribens: « Tibi praesenti saepenumero expo-
 « sueram quam moleste me tulisse, te sub omni respecto nul-
 « lam mei rationem habuisse et vitam solitariam licet sub eodem
 « tecto fuisset, me vivere coegisse. Ideoque nunc minus graviter
 « me esse derelictam fero, multa enim hanc ob causam sum per-
 « pessa ». Et sane grave est ei, qui in urbe est educatus et vitae
 urbanae assuetus fugere hominum consortium: propterea Hedwigis
 desiderium in urbe vivendi improbari nequit tamquam luxus vel
 immodestiae et levitatis indicium. Nec dici potest, Henricum ius
 habuisse cogendi uxorem, ut ruri secum habitaret.

12. - Verissimum quidem est principium, viri esse, sedem eli-
 gere ubi lares constituat, et non uxoris. At hoc principium admittit
 etiam exceptiones. Audiatur ad rem Ferraris (*Biblioth. Canon. sub*
verbo « Uxor » n. 1-4): « Uxor per se loquendo tenetur potius
 « cohabitare viro, quam hic illi: idest viri, non autem uxoris est
 « eligere domicilium, seu locum ubi habitent ac simul vivant, quia,
 « ut ait Apostolus (*Eph., VI, 22*), vir caput est mulieris. Unde
 « ordinarie uxor tenetur sequi maritum iuxta de causa mutantem
 « domicilium, dummodo illa mutatio non accidat uxori graviter
 « incommoda, quia uxor non censetur se obligasse ad sequendum
 « cum tanto suo incommodo, vel periculo v. g. salutis, vitae, pud-
 « citiae et huiusmodi ». Ceterum uxor non est serva et mancipiam
 sui mariti, sed hera et socia. Insuper nulla iusta ratio habetur ex
 parte viri in casu morandi habitualiter ruri, cum aequae bene, ut
 dictum est, et fortasse melius, artem suam agrariam in urbe com-
 morando exercere poterit, praesertim si praedia emat vel conducat,
 quae prope urbem consistant.

13. – Demum notandum est, Henricum, qui praetendit, se familiam deseruisse, ut officium aliquod qua agronomus consequeretur, de facto hucusque nullum officium invenisse, et nunc etiam in urbe degere ibique munere fungi ab agricultura alieno. Aliae quoque circumstantiae, uti rixae inter coniuges, quas extitisse plures deponunt testes, Henrico iustam haud suppeditarunt causam Hedwigem derelinquendi.

14. – Hae enim rixae et discordiae, sive propter malam bonorum administrationem ex parte viri, sive propter characterem uxoris exarserint, uti ex actis constat, tales censendae non sunt, ut Henricus iustum abeundi motivum haberet. Ceterum testis Iosepha, quae asserit actricem « etiam respectu omnium familiarium fuisse acerbam, duram, obstinatum », vix attendi potest. Nam dicta testis spatio ferme quinque annorum in domo coniugum litigantium praeceptricis officio functa est, ex qua circumstantia saltem illud deduci potest, Hedwigem non fuisse talem, qualem Iosepha eam describit. Hic adnotare placet, Hedwigem tum a parocho Sancti Alexandri, tum a secretario Generali Consistorii, qui eam apprime noscunt, commendari ut matronam veridicam, honestam et catholicae religionis praecepta rite adimplentem et prolem pie in timore Domini educantem. Quapropter testimonium episcopi Sandowirien, Hedvigi minus favorabile, valde attenuatur. Quamvis etiam Henricus a duobus Ordinariis optime commendatur, ex actis tamen constat, ipsum bona uxoris non bene administrasse et hanc etiam unam fuisse ex causis, cur Hedwiges ruri habitare noluerit. Adde etiam Henricum, ut deponit testis Leonidas, rem familiarem vendere decrevisse, quia molestissime ferebat incendium domus suae nefarie causatum. Huiusmodi incendium etiam mulierem aegre tulisse et proinde a rure recedere desiderasse, facile intelligitur.

15. – Demum manet inquirendum, an Henricus derelinquendo familiam animum habuerit coniugale consortium dirumpendi. Quod affirmandum esse censuerunt Domini Auditores. Et sane. Henricus ipse fatetur se cum scitu (non vero cum consensu) uxoris ad consanguineos suos profectum esse. Ex quo iam sequitur, Henricum consilium seu propositum suum iam ante eiusdem executionem uxori manifestasse. Id clarius etiam patet ex iis quae testis Maria ab actricis sorore audierat postquam Henricus consilium iniit uxorem deserere, « ipsa ne hoc faceret enixis precibus maritum rogabat. Frustra tamen; Henricus uxorem deseruit ».

16. – Factum quoque, quod Henricus per plures annos absens fuit, praesumptionem parit, ipsum derelinquendo familiam, intentionem habuisse vitam coniugalem dissolvendi. Nec obstat, quod ipse condiciones proposuit reconciliationis et renovationis convictus. Ex hoc enim infertur praepremis, Henricum et non Hedwigem esse auctorem disruptionis vitae communis coniugalis; insuper pacis conditionibus, ut supra dictum est, mulier acquiescere non potuit.

17. – Cum igitur Henricus nullam habuerit iustam abeundi causam, cum praeterea de eius intentione consortium coniugale dissolvendi constet aut saltem de ea vehementer praesumendum sit, ideo derelictio in casu dicenda est malitiosa et dolosa, seu in familiam iniuriosa.

18. – Quibus omnibus tum in iure tum in facto consideratis, ac sedulo perpensis, Christi nomine invocato, Nos infrascripti Auditores pro Tribunali sedentes et solum Deum praes oculis habentes, ad proposita dubia respondemus atque definitive sententiamus. Ad primum dubium: *Affirmative*, seu *constare de legitima separationis causa ad tempus indefinitum iuxta uxoris instantiam*. Ad secundum dubium: *Ex culpa viri statuentes praeterea expensas haberi compensatas inter partes*.¹

Ita pronunciamus et definitive sententiamus mandantes Ordinariis locorum et Ministris Tribunalium ad quos spectat, ut executioni mandent hanc sententiam et adversus reluctantes procedant ad normam sacrorum canonum et praesertim *Cap. 3, Sess. XXV de Ref.* Concilii Tridentini, iis adhibitis exequutivis et coercivitis mediis, quae magis efficacia et opportuna pro rerum adiunctis extitura sint.

Romae, in sede Tribunalis S. R. Rotae, die 17 martii 1913.

Antonius Perathoner, *Ponens*.
Iosephus Alberti
Petrus Rossetti.

Sac. T. Tani, *Notarius*.

¹ Ab hac sententia appellatum est, sed appellatio fuit deinde deserta.